

- Gasparus Tausch, in *Matre dolorosa*, l. II, c. I.
 Joannes Busæus, in *Viridario*. V. Fides.
 Nicolaus Causinus, in *Aula sancta*, lib. III, c. IV.
 Jeremias Drexelius, in *Rosis selectis*, p. I, c. IV.
 Petrus Sanchez, in *Regno Dei*, p. IV, c. III.
 Petrus Pennequin, in *Isagog.* l. I, c. I et II.
 Joseph. Mansi, *Bib. mor.* tr. XXIX.

FORMA.

QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est recta membrorum proportio, decenti colore superfusa. Velut Cicero vult, est apta figura membrorum coloris quadam suavitate. *Cic.* IV, *Tusc.*

Unde tria, juxta aliquos, requiruntur ad Formam. 1. Integritas membrorum. 2. Eorumdem inter se conveniens proportio. 3. Colorum, rubiendi præcipue et albi, grata et amena permixtio.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Fallax gratia, et vana est pulchritudo. Mulier timens Deum ipsa laudabitur. *Prov.* XXXI, 30.

Non laudes virum in specie sua; neque spernas hominem in visu suo. *Eccl.* XI, 2.

Quorum si specie delectati, deos putaverunt, sciant, quanto his dominator eorum speciosior est, speciem enim generator hæc omnia constituit. *Sap.* XIII, 3.

UTILITAS. — Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. *Ps.* XLI, 3.

DAMNUM. — Non concupiscat pulchritudinem ejus (mulieris) cor tuum, ne capriaris nubiis illius. *Pr.* VI, 25.

Ne circumspicias speciem alienam; propter speciem mulieris multi perierunt, et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. *Ec.* IX, 8.

Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt. *Ibid.* 17.

Species deceptite, et concupiscentia subvertit cor tuum. *Dan.* XIII, 35.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Pulchritudo corporis, bonum Dei donum est; sed propterea id etiam largitur malis, ne malum bonum videatur bonis. *S. Aug.* I. XV *de Civit. Dei.*

Cur tu vultus pulchritudinem magis in conjugio, quam morum requiras? Placeat uxor honestate magis, quam pulchritudine; illa eligatur, quæ Sarum referat. *S. Amb.* I. I *de Virg.*

Non possumus reprehendere divini Artificis opus, sed quem delectat corporis pulchritudo, multo magis delectet illa venustas, quæ ad imaginem Dei intus est. *Ibid.*

Pulchritudo corporis et senectus in uno habitare non possunt. *S. August.*

Pulchritudo bonum Dei donum, nostro abusu fit malum. *Id.* I. II *de Nupt.* c. III.

Decor animæ duplex, innocentia et humilitas. *S. Bern.* *super Cant.* serm. XXV.

Ornatam corporis Sancti contemunt, solum animæ decorem querentes. *Id.* *ibid.* serm. XXVI.

DAMNUM. — Audivi multos dicentes, quod multi etiam apud lapides et statuas (formosas) aliquid passi sint. Quod si tantum valuit dura effigies, quantum operabatur insaniam in effigie pulchra tenerum corpus? *S. Chrys.* s. *contra Concubin.*

Semel species formæ cordi per oculos colligata, vix magni luctaminis manu solvitur. *S. Hieron.* in cap. III.

Pulchritudo etiam robustos homines plerumque subigit. *Theren.*

Aspectus formosorum adeo est potens, ut ferrum, virtutemque molliat. *S. Isidor.* *Pet.* l. II, ep. cccxxvi.

Plerumque in adolescentium corporibus nescio, quo modo ætati illi naturalis coloris decore quidam efflorescit, in quem qui inspererint, ii libidinum plerumque stimulis solent pervereri. *S. Prosper.* I. II *de Promiss.* c. XII.

Si vir vel mulier se ornaverit, et vultus hominum ad se procuraverit, etsi nullum inde sequatur damnum, judicium tamen præfatur æternum, quia venenum attulit, si fuisset qui biberet. *S. Basil.* ap. *Lanzic.* opusc. II, c. II.

Delet picturam Dei mulier, quæ vultum suum materiali candore oblinat, quæ exquisito candore perfundit. *S. Hier.* in *Epist.* *S. Amb.* in *Hep.*

EXEMPLA.

Christus tanta pulchritudine præditus fuisse dicitur, ut, qui eum in terris commorantem vel unico momento intuebatur, amore ejus totus incensus, omnibus spretris traheatur. *ENGELG.* in *Festo Epiphani.*

B. Virginis tanta erat in vultu majestas et decor, ut S. Dionysius Areopagita confessus sit, se eam pro Dea habiturum fuisse, nisi per Catholicam fidem, unicum dumtaxat Deum esse, didicisset. *S. Dion.* *Vita.*

Rebecca tam excellenti erat specie prædita, ut Isaac sponsus illius, dolorem, quem ex morte matris maximum sane acceperat, per illius desponsationem temperaret. *Gen.* XXIV, 67.

De Absalone testatur sacra pagina: Porro sicut Absalon vir non erat pulcher in omni Israel, et decorus nimis; a vestigio pedis usque ad verticem non erat in eo ulla macula. Et quando tondebat capillum, ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico. *II Reg.* XIV, 25.

Judith tantum a Deo splendorem obtinuit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret. *Judith* x, 4.

Esther erat formosa valde, et incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur. Et adamavit eam Assuerus plus, quam omnes mulieres. *Esther.* II, 15.

Joanna Lusitanæ Princeps, filia Alphonsi Regis, tam formosa erat, ut miraculum pulchritudinis passim vocaretur, multique Princeps suos pictores mitterent, qui eam depingerent, qui tamen ipsi licet artis suæ peritissimi, fatabantur, nulla artis industria Joannæ venustatem posse adæquari. Feruntque Ludovicum XI, Galliæ Regem, ubi effigiem ejus vidit, in genua provolutum, Deo grates egisse, quod tam formosam in terris divinæ pulchritudinis imaginem licuisset intueri. *ENGELG.* in *Festo S. Dorot.* § 2.

Formæ defædatio et contemptus.

Lucia virgo, S. Dominici alumna, cum a viro nobili ob oculos se tantopere amari audisset, amos eruit, et amasio mittens, effecit, ut oculos suos vanitati clauserit, et veritati aperuerit. *Id.* in *festo S. Joseph.* § 1.
 S. Brigitta, inter Scotiæ puellas pulcherri-

ma, cum a mille precibus ad nuptias expeti se adverteret, Deum rogavit, ut aliquo corporis vitio formam fæderet, effecitque, ut mox, unum oculum perdidit fædo ulcere percussus. *Ibid.*

Angela de Trinitate, Carmelitana, cum ob formam a variis expeteretur, faciem aqua imbutam soli exposuit, ut a sole nigredinem contraheret. *Ibidem.*

Francisca Gudel, Sanctimonialis, cum e supellectili sacra Phrygioni concinnandum quidpiam tradens advertisset, eum ad niveas manus suas intentum obstupescere, non destitit prius manus pieco liquore perfundere, quam pieci reddidisset simillimas. *Ibidem.*

S. Liberata seu Wilgefortis Regis, Lusitanæ filia, cum matre mortua, patrem sensit in suam formam ardere, barbam a Deo precibus impetravit, dirisque ideo tormentis excarnificata et in crucem affixa est. *Ibid.*

EXEMPLA PROFANA.

QUALITAS. — Etsi Xerxes in suo exercitu habuerit quinquagies bis centum octoginta tria milia hominum, ex omnibus tamen ille et stature proceritate, et formæ venustate præstantissimus fuit. *Herodot.* apud *Beirlock.* V. *Forma.*

Augustus Cæsar per omnes ætatis gradus tam amabili vultus venustate præditus erat, ut quidam e primoribus Galliæ, qui eum in transitu Alpium per simulationem colloquii præcipitare volebat, solo ejus aspectu a facinore se absterritum fateretur. *Ibidem.*

Maximinus junior tam amena fuit facie, ut caput ejus etiam post mortem pulcherrimum videretur. *Ibidem.*

Sisigambis, uxor Darii, nulli ætatis suæ femine pulchritudine cessit, teste Curtio, quam tamen Alexander, victo Dario, non solum non violavit, sed et ne quis alius illi illuderet, summam curam adhibuit. *Ibidem.*

Snavilda, Regina Daniæ, tante fuit pulchritudinis, ut cum vincula loris exposita esset equinis calcibus conculcanda, ipsamet jumenta horrore conceperint, atque ab ea calcanda abstinuerint. *Ibidem.*

Pythagoras Philosophus tam formosus fuit, ut illum discipuli opinarentur Apollinem esse, qui ex Hyperboreis venisset. Cum nudatus aliquando esset, femur ejus aureum apparatusse fama est. *LAERT.*

UXOR Ageli Lacedæmonii, Alcidis filia, quam postea duxit Rex Ariston, speciosissima fuit, ex turpissima talis facta. HÆR. I. VI.

P. Scipio Africanus major formæ dignitate Barbaris in Hispania admirationi fuit. PLUTARCH.

Turnus a forma multum commendatur a Virgilio dicente.

Perit ante alios pulcherrimus omnes
Turnusavis atavisque potens.

VIRGIL. I. III. *Aenid.*

Phædrus Æliensis, Socrati Platonicæ familiaris et dialecticus, cujus liber inscribitur *περι τοῦ καλοῦ*, puer forma præstanti a Lenone domino ad merendum coactus, et ab Alcibiade redemptus Philosophiæ traditus est. GELL. I. II, cap. VIII.

Gæleta, formosissimus adolescens, ob pulchritudinem, et animo insitas quasdam virtutes a Ptolomæo, Rege Ægyptiorum, amatus est. ÆLIAN. *de Var. Hist.* lib. I.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut formosa pictura est, cujus nulla pars errat; sic et formosus homo est, in quo nulla macula, vel defectus reperitur. SENEC. *in Prov.*

Sicut finium nemo conscius amat, etsi candidissima nive coopertus sit; ita nec corpus formosum magni faciendum, cum nihil aliud sit, quam fimi spectaculum candida ente coopertum.

DAMNUM. — Sicut ignis, ubi fœnum corripuit, nihil moratur, sed simul, ut attingit materiam, accendit flammam; sic ignis concupiscentiæ simul atque per oculorum intuitum elegantem attingerit formam, protinus exurit animum. S. CHRYS. hom. III *de Ver. Is.*

Sicut Tyranni insidias et potentiam omnes oderunt, et studiose declinant; ita et pulchritudinem, quam Socrates modici temporis tyrannidem appellabat, merito odisse et declinare oportet.

ASCETICA.

Tria sunt præcipue, quæ Asceta de hac materia nosse oportet. Primum est, ut non

magnificat corporalem pulchritudinem, juxta monitum illud Virgiliti.

O formose puer, nimium ne crede colori,
Alba ligura cadant, vaccinia nigra leguntur.

VIRGIL. *in Bucol.*

Sed et illud Ovidii observet.

Sint proci! a nobis juvenes, ut femina compli;
Fine oculi modico forma virilis amat.

Ov. *in ep. Phœd.*

Qualis autem sit ille finis, pulchre alibi ostendit his versibus:

Forma viros neglecti decet: Minoida Theseus
Abstulit a nulla tempora comptus æon.
Hippolytum Phædra, nec enim bene comptas, amavit.
Cura Deæ silvis aptus Adonis erant.
Munditia placeant, fuscetur corpora campo,
Sit bene conveniens, et sine lahe toga.
Linguae nec riget, careant rubigine dentes,
Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.
Nec male deformet rigidos tonam capillos,
Sit coma, sit docta barba resecta manu.
Et nihil emineant et sint sine sordibus unguis,
Inque cava nullus slet tibi nare pilus.
Nec male odorati sit tristic anhellus oris,
Nec lædat nares, virque, pateatque gregis.
Cætera lascivæ faciant, concede, puella,
Et si quis male vir querat habere virtutem.

Id. I. V. *de Arte amandi.*

Alterum est, ut animæ pulchritudinem præcipue curet, utpote quæ suavior longe, certiorque sit, quam corporis, et quam nec dies longa deterrere, nec moribus extingueret, nec mors ipsa auferre queat. Hinc Diogenes formosum adolescentem formæ gratia amari conspicatus, dixit: Quin oportet das, adolescens, ut corporis amatores ad animam transferas! Sed et Socrates discipulis suis snasit, ut speculum inspicerent, et, si quidem pulchri sibi viderentur, eaverent, ne dignitatem corporis malis moribus defoderent; sin autem se deformes aspicerent, turpitudinem suam virtutis laude tegere studerent. APULEIUS, *lib. I. de Magia.*

Tertium est, ut a formosarum facierum aspectu præcipue abstinendum credat, ut jam olim Christus S. Brigitta indicavit, dum dixit, datum esse homini visum, tamquam bonum speculatorem, qui discernat inter hostes venientes, et amicos. Tunc autem veniunt hostes, quando oculi desiderant videre pulchras facies. Sed et B. Virgo eandem docuit, inter res detestandas esse, si quis concupiscentiæ videre pulchras facies. Certe S. Thomas Aquinas oculos ab aspectu formosorum vultuum tam sollicitè avertēbat, quam alii a scorpionibus et viperis fugere solent. Et S. Macarius volebat Monachos de cella

fugere, si in ea pueros formosos viderent. LANGZ. *opusc.* II, c. II, 283.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Recte de forma cecinit Ovidius:

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad
annos.

Fit minor, et spatio carpitur ipsa suo!

Ovid. I. II, *de Arte amandi.*

Et similiter Seneca:

Anceps forma bonum mortalibus,
Exigit donum breve temporis;
Ut velox celeri pede laberis.
Ut fulgor teneris qui radiat genis,
Momento rapitur, nullaque non dies
Formosi spoliū corporis abstulit.
Res est forma fugax.

SENEC. *in Hippol.*

Cunctis ex qualitatibus, quæ mortali corpore fugiunt nulla velocior, quam forma, quæ mox, ut amœnum fœculum ostenderit, ipsos inter oculos mirantium atque laudantium evanesit, brevis hunc pruina percussit, levis hunc aura decusserit, subito vel inimicæ manus ungue decerpitur, vel prætereuntis morbi caele deprimitur. PETRARCH. *Dial.* c. XIII.

Domitianus amico scribens: Scias, inquit, nec gratius quidquam decore, nec brevius; quamvis, etiamsi durabile, perpetuumque natura donum esset, non intelligo, quod tantopere expetendum habeat iste non solidus, nec in ipso homine, nisi superficie tenus fulgens decor, multaque fœda contingens, et horrenda, levissimæque cutis obtentu sensibus blandiens et illudens. *Ibidem.*

Plato formam naturæ privilegium vocavit, eo quod patris obtingat. LANGZUS, *in Polyan.*

Carneades interrogatus, quid forma hominis esset? regnum sine satelliti, respondit, quia formosi impetrant, quid volunt, nulla vi adhibita. *V. eodem. Ibid.*

Isocrates eos, qui pulchrum habent corpus, animam autem fœdam, dicebat, optimam habere navim, gubernatorem autem malum. *Ibid.*

Quid excolis formam? inquit Seneca. Cum omnia feceris, a multis animalibus decore vinceris. SENEC. *ep. cxxv.*

Diogenes, cum vidisset quemdam decora facie, et moribus inhonestum, ait: O quam

bona domus, et malus hospes! LAERT. *de vit. Phil.*

Aristoteles quaesivit, cur, quæ pulchra sunt, amarentur? cæci hanc interrogacionem, dixit, esse. SRON. s. LXIII.

Cicero dixit eum forma idem fieri, quod cum floribus, qui tamdiu grati, quamdiu recentes sunt. ENGELGR. *Domin. 2, Epiph. § 2.*

Hinc non male Juvenalis:

Si verum excutias, facies, non uxor amatur.
Tres rugæ subeant, et cutis arida laxet,
Fiant obscuri dentes, oculique minores,
Collige saccinulas, dicet Libertas, et exi:
Jam gravis es nobis.

Si, ut ait Aristoteles, homines lyncis oculis uterentur, et obstantia visu penetrarent, nonne introspectis visceribus illud Alcibiadis pulcherrimum corpus turpissimum videretur; igitur te pulchrum videri, non tua natura, sed oculorum spectantium reddit infirmitas. BOET. I. III, *prof. viii de Consol.*

S. Bernardinus scribit, puellam deformem, nanam, gibbosam fuisse, quæ cothurnis, aliisque ornamentis ita personam immutarat, ut in conjugem a viro nobiliti sit adlecta. Verum dum sub vesperam se exiit, maritus eam breviorē intuitus, et ingeniale ratus, cum assurgere jussisset, nanam, gibbosam, luscam, edentulam reperit. S. BERNARDINUS, s. XXXVI.

UTILITAS. — Zeno dicebat, vocem esse formæ florem; nam loquentis orationem commendat forma, et rursus oratio composita gratiam addit formæ.

Aristoteles dicebat, pulchritudinem quavis epistola ad commendationem esse efficaciorē. Hinc et Regina quepiam adolescenti formoso litteras commendatitias petenti dixit: Vade, et faciem tuam ostende, et litteris commendatitiis non indigebis. *Ibidem* I. V, cap. I.

DAMNUM. — Non male cecinit Ovidius

Pastus inest pulchrici, sequitur quæ superba formam.
Ovid. I. *Fæt.*

Habes (per formam) velum oculis, laqueum pedibus, alis viscum, haud facile seu vera discernere, seu virtutem sequi poteris, seu in altum evolare animo; multos ad honesta pergentes forma detinuit, detorsitque contrariam in partem. Habes hostem tuum domi (quodque pejus est) delectabilem ac blandum. Habes raptorem quietis et tempo-

ris, perpetuumque tortorem. Habes materiam laboris, uberrimam discriminum causam, fomenta libidinum, nec minorem quaerendi odii, quam amoris aditum. PETRARCH. *Dial.* II.

Theophrastus dicebat, pulchritudinem nihil aliud esse, quam tacitam deceptionem, aut silentem fraudem, quod absque verbis persuadeat.

Quantum periculum subsit formæ, non male explicavit Juvenalis, dum dixit.

Filius autem
Corporis egregii, miseris trepidosque parentes
Semper habet, rara est adeo concordia formæ.
Atque pudicitie. JUVEN. *Sat.* x.

AXIOMATA.

Gratior est pulchro veniens in corpore virtus.

Pulchrorum etiam Autumnus pulcher est. Simia est simia, etsi aurea portet insignia.

AUCTORES.

Nicolaus Lancizius, opuse. 2, c. 2, n. 279.
Henricus Engelgrave, *Dom.* 2 post *Epiph.* § 3.

Laurentius Beirlinck, V. eodem, in *Theatro vite humane*.

Josephus Langius, in *Polyant.* V. eod.
Franciscus Petrarca, *Dialog.* 2, de *Remediis fortunæ*.

FORTITUDO.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO.—Fortitudo est virtus animi, qua labores, mortisque pericula et alia occurrentes difficultates constanter suscipiuntur, et perferuntur. Vel, ut breviter S. Augustinus definit, est considerata periculorum susceptio, et laborum permissio. Lib. LXXXIII. Aristoteles dixit, esse mediocritatem circametum et audaciam; (III *Eth.* c. vi), nam qui vere fortis est, nec temere audeat, nec inconsulto timet, teste S. Augustino; hinc alibi viam regiam vocat, a qua declinat

ad dexteram, qui temerarius est et pertinax; ad sinistram, qui formidolosus est ac timidus. *Super Psalm.* I.

Hinc etiam fortitudo plerumque viris magis, quam mulieribus convenire censetur, quia, ut bene Cassiodorus advertit, vir vocatur a viribus, qui nescit in adversis, tolerando deficere, aut in prosperis aliqua elatione se jactare, sed animo stabili defixus, et celestium rerum contemplatione firmatus, manet semper impavidus.

DIVISIO.—Fortitudo Justorum velut in partes pótentiales (quidquid neget Theophilus Raynaudus, contendens, fortitudinem esse atomam speciem, non divisibilem in alias species) juxta S. Thomam et alios communiter, subdividitur in *Magnanimitatem*, qua magna opera et eximio honore dignissima propter finem virtutis aggredimur, ipsum vero honorem nobis denegatum non ambimus, et oblatum contemnimus; *Securitatem*, qua pacate et tranquille magna opera virtutis aggredimur, et timorem anxietatemque errandi, præpostere agendi, et finem non assequendi contemnimus; *Magnificentiam*, qua ob Dei honorem in magnis et utilissimis operibus magnos sumptus facimus, et ingentem vim pecunie profundimus; *Patientiam*, qua mala hujus sæculi sequo animo sustinemus, de qua plura infra suo loco dicentur; *Longanimitatem*, qua per longum tempus molestias corporis et animi ariditates sustinemus, et malorum remedium, ac felicitatis adventum, diu dilata sequo animo ac firma in Deum fiducia a Deo speramus; *Perseverantiam*, qua molestiam ex rei laboriosæ diuturnitate provenientem superamus, de qua itidem plura suo loco; *Constantiam*, qua impedimenta virtutis vel ex ipsa humani cordis mobilitate, vel ex causis extrinsecis provenientia vincimus.

ACTUS.—Actus præcipui hujus virtutis, juxta Jacobum Alvarez, sunt sequentes. 1. Pericula mortis et ipsam mortem intrepide sustinere; maxime in causa fidei, quo in casu hic actus *martyrium* vocatur. 2. Quælibet alia pericula propter defensionem virtutis fortiter tolerare. 3. Mentem in adversis et prosperis ita roborare, ut neque in illis vincatur, neque in his extollatur, et a virtutis semita abducatur. 4. Tentationes Dæmonis intrepide sustinere, et fortiter rejicere. 5. Ardua quæque cum magna in Deum fiducia aggredi. 6. Meritis tranquillitatem in adversis casibus retinere. 7. Pericula vi-

res nostras excedentia, sine anxietate vitare. 8. Seipsum generose vincere.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS.—Fortitudo mea, et laus mea Dominus. EXOD. xv, 2.

Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es. PS. LVIII, 40.

Expecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum. PS. XXVI, 44.

Fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu. II TIMOT. II, 1.

Domus justî plurima fortitudo, et in fructibus impit conturbatio. PROV. xv, 6.

UTILITAS.—Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. LEC. I, 21.

Vos ergo confortamini, et non dissolvantur manus vestre; erit enim merces operi vestro. II PAR. xv, 7.

Omnia possum in eo, qui me confortat. PHILIP. IV, 13.

Fugit impius nemine persequente, justus autem, quasi leo confidens, absque terrore erit. PROV. XXVI, 1.

MEDIA.—Oculi mei semper ad Dominum; quoniam ipse evellit de laqueo pedes meos. PS. XXIV, 16.

Viriliter agite, et confortetur cor vestrum omnes, qui speratis in Domino. PS. XXX, 31.

In timore Domini, fiducia fortitudinis. PROV. XIV, 26.

Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem; assumunt pennas ut aquilæ; current, et non laborabunt; ambulabunt, et non deficient. IS. XL, 31.

In silentio et spe erit fortitudo vestra. IS. XXX, 45.

Vigilate, state in fide, viriliter agite, confortamini; omnia vestra in charitate fiant. II COR. XVI, 13.

Si Deus pro nobis, quis contra nos? ROM. VIII, 31.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS.—Hæc est vera fortitudo, quæ naturæ usum, sexus infirmitatem, mentis devotionem transgreditur. S. AUG. de *Vid.*

Non mediocri animi est fortitudo, quæ sola defendit ornamenta virtutum omnium,

et justitiam custodit; quæ inexpectabili prælio adversus omnia vitia decertat, invicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior adversus voluptates, ut avaritiam fugiat, tamquam labem quamdam, quæ virtutem effeminat. S. AMBR. lib. I de *Offic.*

Stultus ut luna mutatur; sapiens enim non metu frangitur, non potestate mutatur, non attollitur prosperis, non tristibus mergitur. Ubi enim sapientia, ubi virtus est, ibi constantia, ibi fortitudo. S. AMBR. in ep. ad *Simpl.*

Justi et fortis viri est, nec adversis frangi, nec prosperis sublevari, sed in utroque esse moderatum, S. HIER. super *Joel.*

Tanto unusquisque ad fortitudinem profectus verius demonstratur, quanto aliena mala robustius tolerat; nam minus in se convulvit, quem iniquitas aliena sternit. S. GREG. I. V *Mor.*

Bonus circuitus est, si justitia querit, prudentia invenit, fortitudo vindicat, temperantia possidet, ut sit justitia in affectu, temperantia in usu. S. BERN. in lib. de *Consid.*

Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate. Idem, in *Epist.*

Fortitudo corporis est imbecillitas animi, et rursus imbecillitas corporis est fortitudo animi. S. AUGUST. in *Origina.* super *Ev.*

Fortitudo atque constantia, via regia est, a qua declinat ad dexteram qui temerarius est, et pertinax, ad sinistram, qui formidolosus est et elpavidus. Idem, in *Orig. sup. Isaïam.*

Fortitudo, si, nulla necessitate cogente aut non pro causa honesta, certum periculum subierit, in temeritatem convertitur. LACTANTIUS. I. VI.

Fortitudo sine justitia, iniquitatis materia est. S. AMBR. I *Offic.*

Fortitudo, quæ per bella tuetur a Barbaris patriam, vel defendit infirmos, vel a latronibus socios, plena justitia est. *Ibid.*

Ille magnus, ille sublimis, ille potens, atque dignus fortitudinis appellatione censendus est, qui nihil sibi vitii rebellare, aut dominari permiserit. S. PROSP. lib. III de *Vita contemplat.* c. xx.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

QUALITAS.—Fili, non es adhuc fortis, et prudens amator. Quare Domine? Quia propter

modicam contrarietatem delicias a coeptis, et nimis avidè consolationem queris. Fortis amator stat in tentationibus, nec callidis credit persuasionibus inimici. Sicut et in prosperis placeo; ita nec in adversis displiceo. L. III, c. vi.

NECESSITAS. — Fili, numquam securus es in hac vita, sed quoad vixeris, arma semper spiritualia tibi sunt necessaria. Inter hostes versaris, et a dextris, et a sinistris impugnaris, Si ergo non uteris undique scuto patientia, non eris diu sine vulnere. Oportet te ergo viriliter omnia pertransire, et potenti manu uti adversus objecta; nam vincenti datur manna, et torpenti relinquuntur multa miseria. L. III, c. xxxv.

UTILITAS. — Expecta Dominum, viriliter age, et confortare, noli discedere, noli diffidere, sed corpus et animam expone constanter pro gloria Dei. Ego reddam plenissime; ego tecum ero in omni tribulatione. Ibid. § 3.

Confortare et esto robustus, tam in agendo, quam patiendo naturæ contraria. Sed pensa horum fructum laborum, celerem finem, atque premium nimis magnum; et non habebis inde gravamen, sed fortissimum patientiæ tuæ solamen. L. III, c. XLIX, § 4 et 6.

Fili, non te frangant labores, quos assumpsisti propter me, nec tribulationes te deiciant usquequoque. Sed mea promissio in omni eventu te roborat, et consoletur. Expecta paulisper, et videbis celerem finem malorum. L. III, c. XLVII.

DIGNITAS. — Qui semetipsum subjectum tenet, ut sensualitas rationi, et ratio in cunctis obediat mihi, hic vere victor est sui, et dominus mundi. Ibid.

EXEMPLA CATHOLICA.

Moyses audacter et constanter stetit coram Pharaone arguens eum, quia non dimittit populum Domini. Exod. v.

David fortissime Philistæum vicit. Item unico cum milite tentorium Saulis introivit, tulitque hastam et scutum illius. I Reg. XVII. Judith fortitudine plus quam virum Holoferni caput abscondit, populumque suum liberavit. Judith. X, XII, XIII.

Elezarus dixit tortoribus suis: Fortiter vita excedendo, senectute quidem dignus

apparebo; adolescentibus autem forte exemplum relinquam, si prompto animo ac fortiter pro sanctissimis legibus honesta morte perfungar. II MACC. VI.

Simile fortitudinis exemplum mater Machabeorum cum septem filiis edidit. II MACC. VII.

S. Stephanus plenus gratia et fortitudine, faciebatur prodigia et signa magna in populo. Act. VI, 8.

S. Chrysostomus dicebat: Quidquid terroris habet mundus, contemno; quidquid delectabile habet, rideo; divitias non cupio, paupertatem non horreo, mortem non timeo. Hinc tanta in eo constantia adversus Eudoxie persecutiones.

S. Blandina virgo tam debilis erat corpore, ut vix pedibus consistere posset; quoties tamen dicebat: Ego Christiana sum, adeo confortabatur, ut a mane usque ad vespere fortiter dimicaret, ipsique tyranni et carnifices (quorum non pauci se convertentibus victos se fateri cogerebant, dum post tormenta semper robustiorem fieri adverterunt. D. ANTON. II, p. tit. VIII, c. VI.

Daniel, Martyr Africanus, ad Tyrannum productus dicebat: Ure, tunde, lania, idola tua non adorabimus; quo magis nos affligis, hoc digniores vita eterna efficiis. Tua sævitia nostra est gloria. Ejecti e terra, in cælum admittimur. DREX. in *Rosis*, p. I, c. XIII, § 4.

Marcus et Marcellianus fratres a duce Fabiano grandibus clavibus stipitem affixi, et a iudice, ut respicerent, admoniti, constanter responderunt: Hoc qualecumque supplicium nobis est lautissimum convivium; jucundius nunquam epulati sumus. In gratiam Jesu Christi etiam graviora pati minime horremus. Nunc in amore Jesu Christi fixi esse cupimus. Utinam ad supremum usque halitum hæc perferamus! Diem unum notetemque in his tormentis perdurarunt, et veluti non in cruce, sed in horto essent, hilare cantarunt. Demum jaculis confixi ad cælum evolaverunt. Ib. § 2.

De S. Vincentio M. sic loquitur S. Augustinus. Tormenta defecerant, et adhuc membra durabant. Judex ferox, tortor cruentus, Martyr invictus. Tanta grassabatur crudelitas in Martyris corpore, et tanta tranquillitas proferebatur in voce; tanta penarum asperitas seviebat in membris, et tanta securitas sonabat in verbis, ut miro modo putarem, Vincentio patiente, alium, non lo-

quentem torqueri. Et vere, fratres, ita erat; prorsus ita erat. Caro ergo patiebatur, et spiritus loquebatur; et loquente spiritu non solum vincebatur impietas, sed etiam confortabatur infirmitas. Nam rabidi hostis, atque in Christum sævientis insaniam interitus adiit, modestus sustinuit, securus irritus, sciens paratus esse, ut resisteret, nesciens elatus esse, quo vincebat. Ser. XII, de *Sanct.*

Carolus V, stans in acie intra vallum, cum moneretur, ut se a crebra hostium jaculatione eriperet, respondit: Canes, qui latrant, non sunt extimescendi. Neque est, quod timeatis, cum presidio Dei satis vallati simus. FABER, *ser. 2 Pent.* conc. IV, n. 5.

Ludovicus Bavarus ab Alberto Marchione Brandeburgico captus, et multa cum minis postulatus, heroice respondit: Que poteris ex me libero impetrare, eodem modo ex capto petito. Si amplius quid voles, corpus meum in tua potestate est, animum vero mihi, non tibi obnoxium invenies. Ibidem.

Valens Imperator cum in Thraciam venisset, Constantiнопoli diutissime moratus belli gerendi rationes inibat. Interea Trajanum ducentem cum exercitu adversus Barbaros militum. Qui cum victus reversus esset, convicit illi Imperator facere et exprobare molliorem ac timiditatem cepit. Tum ille libere, ut virum fortem decebat: Non ego sum victus, inquit, sed tu victoriam corrupis, Imperator, qui adversus Deum aciem instruis et fortunam belli concilias Barbaris. Quia enim tu bello persequeris eum, transit ad Barbaros, quem et victoria sequitur, consequunturque eam Deo duci parentes. An te fugit, quos ab Ecclesiis exegeris, et quibus illas commiseris? Hæc ita se habere affirmabant et alii duces, Arianthæus et Victor, petebantque ab Imperatore, ne succerneret reprehensionibus conjunctis cum veritate. THEODOR. *Hist. Eccl.* I, c. ult.

Isdigerdes, Persarum Rex, variis tormentis frustra tentavit pugilum Martyrum fortitudinem. Inter alios fuit illustris admodum Persa, nomine Hormisda, gente Achæmenides, cujus pater præcipuas gesserat præteritas. Hunc cum Rex cognovisset esse Christianum, acerisum abnegare jubet servatorem Deum. At ille, neque justum esse, neque utile imperium Regis dicere. Nam si quis dixerit omnium rerum Dominum Deum contemnere et illum abnegare, facile ipsam etiam Regem despecturum esse, qui certe homo sit mortalis conditionis. Quod si

TOXUS II.

pona dignus habetur, o Rex, adversarius aliquis regni tui, quanto est majore dignus, qui omnium rerum factorem abnegari? At Rex, quem æquum fuerat admiratione persequi sapientissima dicta, spoliavit illum et opibus et honore, et ducere nudum camelos, qui in exercitu essent, renone solummodo incinctum imperat. Post multos vero dies despiciens de testudine vidit optimum illum virum ustulatum solis æstu et pulvere respersum, tum reordans paterni splendoris accersi ad se indutum linea tunica mandat, ratusque cum priore malo, tum illa sua benignitate mollitum esse animum ipsius: Nunc saltem, inquit, contentionem pone et abnega Fabri filium. Sed Hormisda divino repletus fervore tunc illam dirupit et abiecit cum his verbis: Si ideo me sperasti pietatem deseriturum, habe tibi donum tum una cum impietate. Hæc illius visa fortitudine Rex ejicit regia nudum. THEODOR. I. V. *Hist. Eccl.* c. XXX.

Cum Archæsilæus, comes Tyrannus, Rufinam et Secundam, sorores virgines, a virginis palma, quam Deo consecraverat, et ab amore et cultu Christi filii Dei separare contenderet, tum Donatus ejus præfectus Secundam jubet acceri, ut Rufina soror ejus, ipsa presentem, flagellis caderetur. Sperabant enim sacrilegi illi, Secundam terrore prostratam ipsorum persuasionibus assensuram. Ut vidit autem Secunda Rufinam flagellari, clamavit ad iudicem: Quid agis, scelestissime, hostis Regni œolorum? Cur sororem meam gloria afficis, me vero ejus glorie non pateris esse participem? Præfectus ait: Ut video, sororem in tua insaniam superas. Secunda respondit: Nec soror mea insana est, nec ego insano, sed ambe Christianæ sumus, et justum est ut simul cedamus, quæ pariter Christum Dominum confitemur. Gloria enim nominis Christiani verberum ictibus augebit, et tot conciliat coronas sempiternas, quot temporariis flagellorum ictibus pulsatur. Præfectus dixit: Hortare potius sororem tuam, ut vos ab hac injuria vindicetis, et sponsis vestris cum gloria nobilitatis vestræ restituamini. Secunda respondit: Vanis terroribus niteris et frivolis promissionibus uteris. Nobis gloria adeo comperta est, ut magis optemus occidi, quam nos vinei patiamur. Præfectus ait: Si invitis vobis crepta fuerit virginitas, quid facturæ estis cum terroribus? Secunda respondit: Virginitas in corde puro exhibetur Christo

Filio Dei. Non potest virgo perdere suam integritatem, si nolit a justitia deflectere. Vis autem illata persequemur adfert, persequo palmas præparat. Tu in consensum nostrum arma cœpisti, ut cogeres nos velle quod nolumus, et his rebus delectari, quas excernamur. Admove ignes, gladios, flagella, saxa, fustes et virgas: Quot tu pœnas inferes, tot ego martyrii nostri glorias numerabo. Quoties tu in nos violentia uteris, toties ego martyrii computabo palmas. Nostra enim gloria est pœna, quam Christi amore persequimur; nec poterit corruptio dici, quæ pro mentis tuenda integritate non timet sui corporis facere jacturam. De consensu enim apud Deum judicabitur, si quis voluntate dilexerit. *Apud Saurium, in vita Rufinæ et Secundæ, t. IV, Jul. 40.*

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius tam excelso ac forti erat animo, ut morbo sepe oppressus, si quis modus existeret, ad quem virtute illius esset ac prudentia opus, statim quodammodo convalesceret, et animo corpus regente, sanus fortisque videretur. *Vit. I. V, c. ix.* Cum satellites ad domum expoliandam missi essent, nuntio tali nihil motus, dixit: Si lectos auferant, terra nobis cubile erit; pauperes enim sumus, et vitam pauperibus dignam agemus. *BARTOL. I. IV Vit. § 36.* De nulla re sapius, quam de sui victoria loquebatur; duo hæc verba: *Vince teipsum* illi perpetuo natabant in labiis, hæc inter sodales illi colloquendi materiam, coram auditoribus dicendi copiam, in domesticis exhortationibus amplissimum disputandi argumentum suppedabant. Profectum suorum spirituales non ex facilitate nature, aut vultu, sed ex contentione et sui victoria metiebatur. Hinc illis assiduo entendum dicebat, ut se ipsos vincerent, timoresque ab se se omnes abjicerent, qui Dei fiduciam minuerent, impedirentque, quo minus spem omnem in uno Deo reponerent, ac locarent; cuius assequenda spei gratia, vias omnes indagandas, ipsum tamen fiducia fundamentum, siquidem Dei munus est, collocandum utique in eo esse, cuius ad arbitrium eae plerumque fiducia iis, qui se vicerint, impertitur. *RIBAD. I. V, c. xx; Hist. Soc. n. 472.*

S. Franciscus Xaverius nixus Deo, nihil

arduam, nihil nimis amplum ducens, im-mensa quadam magnitudine animi, maxima quæque moliebatur. Ubicumque vero divinus honor ageretur, nulli cedebat difficultati periculis. Hinc in Japoniam securus periculatorum, quæ amici denuntiabant, ibat, dicebat, se nihil metuere præter Deum, eo quod res cætere, quantumvis noxiæ, non nisi, quatenus ille sinit, nocere hominibus queant. Nusquam tamen magis fortitudinem suam ostendit, quam in Sinesi expeditione, de qua ipse scripsit: Omnino deliberatum est mihi, in Sinas, Deo favente, invitis ejus hostibus, penetrare. Nam si Deus pro nobis, quis contra nos? Magnum omnino adimus periculum, si nihil aliud, perpetuæ servitutis. Verum tamen hæc me cogitatio consolatur, satius esse Dei causa servitutem subire, quam Crucis foga perferri libertate. Cum sociis in India præses, nihil magis et frequentius incutere solebat, quam victoriam sui; rationem vero tam frequentis repetitionis rogatus respondit: Ita edocui sum ab optimo P. Ignatio. Hinc P. Gaspari Barzæo in hunc modum præcepit: Quos ad Societatem aggregaveris, in impotentibus animi motibus, cupiditatibusque edomandis magis exerceas, censeo, quam in corporis afflictionibus, novisque ejus generis inventis. *LYRÆUS, I. II Apoph. t. I.*

P. Leonardus Lessius rerum magnarum aviditatem in se usque adeo deleverat, ut diceret, universum e corde suo ablatum esse mundi desiderium. Scientiarum vero, quo juvenis exarsit, sic extinxit desiderium, ut fastidiose omnem eam scientiam nasearet, quæ neque de Deo, neque de Christo esset, et eo quidem Cruci affixo. Negabat amplius sibi inesse rerum curiosarum appetentiam, quarum vividandarum ne quidem, cum Romæ aut alibi in ipsarum loco esset, laborem subierit. Gloriæ appetitum prorsus ex animo eiecerat; portentum putabat, si quem audebat propriis laudibus delectari. Mentis illam animositatem, quam commota bilis in iram sepe excitabat, ita compressit, ut columbina eum modestia sine felle diceret. Affectiones malas tribus potissimum de causis in nobis relictas dicebat esse: 1. Ut proprie miseræ, inopiæque consilii, deposito fastu ipsi nos abjiciamus. 2. Ut esset insipientium victoriarum locupletis materia. 3. Ut auxiliares e celo opes et copias gerendo bello deprecamus, adeoque nulli quadam necessitate, Deo frequenter supplices, magno

bono nostro, accedere compellamur. *Vit. c. xii.*

P. Josephus Anchieta usque adeo cupiditates omnes compresserat, ut, ubicumque esset aut ageret, semper ei idem vultus, eadem animi æquitas, eadem lenitas orationis esset, quæ signa esse solent animi bene constituti, et in seipsum dominatum tenentis. *Vit. I. III, f. 189.*

Joannis Berchmanni axioma erat: Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris. Adversus tria autem præcipue vitia Religioso dimicandum dicebat, nimirum contra aediam, superbiam, gulam; aediam fervore, superbiam humilitate, gulam temperantia, superari. *Vita fol. 232.*

Joannes Paulus Navarola ex jugi divine præsentie memoria eo devenerat, ut nemo in eo unquam animi commoti signum adverteret. *Annal. Rom. 1597.*

P. Franciscus Villanova ita curiositatem domuerat, ut diceret, si nuntiaretur sibi, Angelum e celo lapsum, in via ante aedes collegii concionari, se minime ad audiendum accessurum, nisi studio duci se pio sentiret. *Hist. Soc. p. ii, num. 181.*

P. Andreas Ovidio tanta erat magnanimitatis in rebus adversis, ut fateretur, se magis in illis vanam gloriam, quam pusillanimitatem timere. *Hist. Soc. I. VIII, n. 64.*

P. Gonsalvus Silveria tam imperterriti et excelsi erat animi, ut P. Antonius Quadrius diceret, si jam Antichristi tempora essent, neminem se scire aptiorem, qui illi opponeretur, quam Gonsalvum. *Vita.*

EXEMPLA PROFANA.

Apud Spartanos olim tres erant chori, juxta triplex ætatum discrimen; quibus in festis simul constitutis senum chorus incipiebat canere:

Nos quondam eramus inelyti bello viri.

Tum juvenum chorus subjiciebat:

Nos ii sumus, fac si velis periculum.

Tandem puerorum chorus pariter canebat:

Nos fortitudinæ plurimum præstabimus.

Hinc et Orationes Spartanorum versabantur tantum vel in laudibus eorum, qui fortiter se gesserant; vel vituperatione eorum, qui metum ostenderant; vel in pollicitatione, per gloriæ studium, animos ad virtutem accendente. *LANGIUS, in Pol. v. eod.*

Lucius Scianus Dentatus centum et viginti præliis in hostem pugnavit, cicatricem aversam nullam, quinque et quadraginta adversas accepit, coronis aureis octo, obsidionalium una, muralibus tribus, civicis quatuordecim, torquibus tribus et octoginta, armillis plus centum sexaginta, hastis duodeviginti donatus est, uti et phaleris vicies quinque, triumphos vero novem cum Imperatoribus suis est meritus; hinc ob tot generosa facta, Achilles Romani encomium accepit. *GELIUS I. II. Noct. Attic. c. xii.*

Cynægirus Atheniensis cum in Marathoniam palantes Persas, Medosque ad navem compulisset, navem hostibus onustam dextra manu tenuit; hac hostili ferro amputata, levam navigio injecti, idque remoratus est. Quam cum pariter amisisset, ore navim corripuit. *DREXEL, in Rosis, p. I, c. XIII.*

Anaxarchus Alderites Philosphus in mortario a Microcreonte contundi jussus, dixit: Tunde Anaxarchi follem, Anaxarchum non tundis. Cumque Tyrannus etiam lingue abscissionem minaretur, ni taceret, ipse sibi eam dentibus abscedit, et in Tyrannum evomit. *Ib. § 3.*

Achilius Belifarii miles, solus ad Portam Pintianam Gothorum repressit impetum. *PROCOPIUS, op. Tert. I. I, c. xxviii, f. 264.*

Porsena, Rex Etruscorum, dum Tarquinius in urbem restituere tentans, Janiculum cœpisset, Horatius Cocles pro ponte sublicio stetit, sustinuitque hostilem impetum, donec pons a tergo frangeretur, quocum in Tyberim decidit. *Ibid.*

Mutius Scævola, nobilis Romanus, accepta potestate a Senatu, solus in castra Porsenæ Regis, Romanos obsidentis, intravit, eo animo, ut Regem occideret; sed cum eum non cognoscens, satellitem purpura indutum occidisset, ideoque comprehensus et conjuratos indicare jussus esset, ut ostenderet se nullo supplicio vinci posse, panamque de dextra sua, quod in cæde aberasset, exigeret, ipsam igni impositam in conspectu Regis adussit; quam fortitudinem Rex admirans, liberum dimisit. *T. LIVIUS, lib. I.*

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut magnus ignis multis lignis potius crescit, quam diminuitur; ita viri fortis animus per adversitates magis roboratur, quam dejicitur. *LANGIUS, in Pol.*

Sicut peritum et magnanimum gubernator

navis etiam scisso velo non desperat, et post naufragium reliquias navis aptat ad cursum; ita in corpore parum felici ac deficiente, tamen fortis animus sibi similis est. SENECA.

Sicut timidus canis vehementius latrat, quam mordet, et altissima flumina minimo sono labi videmus; ita fortitudo non tam in verbis, quam factis consistit. CURTIUS, l. V.

Sicut palmæ ramus imposito onere non deprimitur, sed renititur, et ultro adversus sarcinæ pondus erigit sese; ita viri fortis animus, quo plus negotiis et difficultatibus premitur, quoque magis sævit fortuna, tanto est erectior. PLINIUS, l. XVI, c. XLII.

Sicut in arboribus robustiores sunt partes Aquiloni oppositæ, quam quæ ad Austrum et Zephyrum spectant; ita fortiores et firmiores sumus in his, in quibus nos duris casibus exerceat fortuna. ERASMUS, in *Similibus*.

UTILITAS. — Sicut civitas firmo vallo et muro triplici circumdata ridet potius, quam timet hostium insultus; ita vir fortis triplex as circa pectus habens, id est, in Dei quoad Personas trini potentia et protectione confusus, neminem timet, sed audacter dicit cum S. Paulo: Si Deus pro nobis, quis contra nos? ROM. VIII, 3. Si consistent adversum me castra non timebit cor meum, quoniam tu mecum es. Ps. XXVI, 5.

MOTIVA.

Dei beneplacitum; si enim pater filium, et dux militem illum, qui generosa audet facinora, singulari amore prosequitur, mihi que sibi in eo complacet et gloriatur; an non potius Deus de homine fortiter agente et patiente dicat, quod olim de Christo dixerat: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui?

Exemplum Christi; quis enim ex militibus horreat sequi, si ipsum ducem præcuntem, et gravissimis periculis se obijcientem videat? An non quisque sibi illa pii Ascetæ verba simul et suscipit: Eia, fratres, pergamus applicet! Jesus erit nobiscum; erit adiutor noster, qui est dux noster, et præcessor. En Rex noster ingreditur ante nos, qui pugnabit pro nobis! Sequamur viriliter; nemo metuat terrores; sumus parati mori fortiter in bello, nec inferamus crimen gloria nostræ, ut fugiamus a cruce. Lib. III de *Imit.* c. LVI.

Præmii magnitudo; si enim militi exiguæ spes prædæ animos tantos addit, quid merces Regni cælorum in animo generosi Christiani non efficiat? An non iterum sibi illa Thomæ Kemp. verba dicta putabit: Age, quod agis. Geme, tace, ora, sustine viriliter contraria; digna est his omnibus, et majoribus præmiis vita æterna. L. III, c. XLVII.

Gloriæ et famæ solidæ cupido; ad quæ enim audenda etiam falsæ gloriæ cupido sibi subjectos non adegit; et tantum gloria apud Deum, Cælestesque et omnes homines justos in pectore Christiani non efficiat? An nescit, quod Deus in Apocalypsi promisit: Vincenti dabo manna absconditum, et nomen novum, quod nemo scit, nisi qui accipit? Cap. II, 17. An non ergo diviniore spiritu impulsus dicit cum Josepho et Azaria: Faciamus et ipsi nobis nomen, et eamus pugnare adversus gentes, quæ in circuitu nostro sunt, id est, cupiditates et affectiones nostras? MACH. v, 37.

Exempla Sanctorum; Potuerunt enim isti et istæ, et Christianus non possit? An non dicit cum Francisco Perez Godojo, Soc. Jesu Religioso: Non degeneremus ab excelis cogitationibus (et factis) filiorum Dei!

Pacis internæ jucunditas; si enim pro pace politica, tanta agunt et patiuntur milites, alique; quid pro pace, quæ exsuperat omnem sensum, obtinenda difficile videri poterit Christiano militi?

Zelum animarum. si enim Abraham, ubi fratrem suum Lot cum familia ab hostibus abductum audivit, mox numeravit vernaculos suos, hostemque persecutus, fratrem liberavit; (GEN. XIV, 14.) quid Christianus pro fratribus et sororibus a Demone captis, et in æternam servitutem abducendis, non audebit?

Diaboli confusio et debellatio; ad quem finem fortitudo aptissimum sane est instrumentum; nam de hoc hoste vere dicitur: Est leo, si cedas; si stas, ut musca recedit. Hinc Seneca: Fortitudo est humane infirmitatis munimentum inexpugnabile, quod, qui circumdedit sibi, securus in hac vite obsidione perdurat. Epist. cxiv.

MEDIA.

Ardens desiderium; nam, ut bene advertit S. Laur. Justin., magna vincendi pars est,

ASCETICA.

Triâ sunt, quæ circa hanc virtutem scire præcipue et docere debet Asceta.

Primum est, ut bene intelligat naturam fortitudinis, quam quidem S. Thomas breviter sic indicavit: « Fortitudo principaliter est circa timorem difficultium rerum, quæ retrahere possunt voluntatem a sequela rationis. Oportet autem hujusmodi rerum difficultium impulsu non solum firmiter tolerare, sed etiam moderate aggredi. » Unde fortitudinis duo sunt præcipua officia, quæ P. Hieremias Drexelius duo brachia vocat, quorum alterum oseum est, et *aggressio* vocatur; alterum ferreum, et *tolerantia* appellatur. In *Rosis selectis*, p. 1, c. XIII.

Et hoc est, cæteris paribus, longe præstantius priore; id quod S. Thomas probat triplici argumento. 1. Quia toleramus valentiores nobis; invadimus, quem saltem putamus fore debiliorem. 2. Quia ferendo incumbentia mala jam sentimus, invadendo adhuc futura prævidemus. 3. Quia in puncto temporis invadimus, non nisi aliquo temporis intervallo sustinemas. 2, 2, q. 223, 6.

Secundum est, ut bene intelligat gradus, per quos ad fortitudinis perfectionem pervenitur. Quorum primus est occurrentes adversitates forti et infracto animo suscipere, maxime si ex improbo accidant; nam, ut ait Aristoteles: In repentinis periculis maxime apparet fortitudinis habitus, eo quod omnia subita majora videantur, utpote ad quæ prævidenda et consideranda spatium non datur. L. III, *Eth.* c. VIII. Alter est, occasiones agendi et patiendi fortia, vehementer desiderare, et studiose querere; uti Sanctus Franciscus et S. Antonius martyrium quæsiverunt, et S. Andreas Apostolus conspecta cruce exclamavit: « O bona Crux, jam diu desiderata, et concupiscenti animo præparata; exultans et gaudens venio ad te! » Tale quippe desiderium arguit radicatum valde habitum, aut certe æstimationem talis virtutis. Tertius tandem gradus est, cum magna alacritate et gaudio, sive quasitas, sive ultro occurrentes ejusmodi occasiones exipere, e amplecti. Quomodo Christus de se dixit: « Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor, usque dum periciatur. » Luc. XII, 50. Hinc et Apostoli, conspecto hoc Magistri

vincendi desiderium, hoc namque vires auget, cor attollit, debilitat adversarium, laborem temperat, exhilarat mentem, disponit ad gratiam, et Deo amabilem reddit. De *casto Connub.*, c. III.

Fervens oratio; nam, uti S. Prosper recte dixit, hæc animi fortitudo ab illo est nobis, cui cum Propheta cantamus: Fortitudo et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Lib. II, de *Vita contempl.* c. XX.

Vita bona; nec enim aliter vincemus, inquit S. Chrysostomus, quam si per vitam optimam supernum nobis auxilium conciliemus. Hom. VI in *Gen.*

Grandis æstimatione de honestate Fortitudinis propria; nam, teste Cicerone, ad ferendum dolorem placide et sedate, plurimum proficit, toto pectore, ut dicitur, cogitare, quam id honestum sit. Sumus enim natura studiosissimi appetentissimi que honestatis; ejus si quasi lumen aliquod aspexerimus, nihil est, quod, ut eo potiamur, non parati simus et ferre, et perpeti.

Præparatio animi ad quasvis adversitates; nam, ut prævisa tela minus feriant, ita prævisæ quoque adversitates minus affligunt; id quod Seneca quoque sapienter docuit his verbis: Fortitudo contemptrix timendorum est. Cogitanda ergo sunt omnia, et animus ad ea, quæ possunt evenire, formandus exilia, tormenta, morbos, bella, naufragia meditare. Epist. LXXXIX.

Correctio opinionis, qua adversitates ut male apprehenduntur; nam, ut bene Epictetus advertit, homines non perturbantur rebus, sed iis, quas de rebus habent, opinionibus. *Enchir.* c. X.

Amor Dei; nam fortis est ut mors dilectio, (Cant. 8, 6.) et tam parum superabilis, quam mors, cui omnes succumbunt. Id quod fusus pius Asceta his verbis confirmat: Magna res est amor, magnum omnino bonum, quod solum leve facit omne onerosum, et fert æqualiter omne inæquale. Nam onus sine onere portat, et omne amarum dulce ac sapidum facit. Amor Jesu nobilis, ad magna operanda impellit, et ad desideranda semper perfectiora excitat. Amor onus non sentit, labores non reputat; plus affectat, quam valet; de impossibilitate non causatur, quia cuncta sibi posse et allecti arbitrat. Valet igitur ad omnia, et multa implet, et effectui mancipat, ubi non amans deficit, et jacet. L. III, c. V.

sui exemplo, ibant gaudentes, quoniam digni habitis sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. ACT. v, 41.

Tertium caput est, ut solida sciat media, quibus difficultatem in exercitio hujus virtutis minere queat, quorum quidem tria sunt precipua. 1. Ut brevem sibi certaminis hujus terminum circumscribat, ne, si diuturnum nimis fore sibi persuadeat, ipsa hac diuturnitate constantia frangatur, animusque a tali exercitio velut impossibili absterreatur. Itaque in ejusmodi occasione certandi constitutus, illud, quod Deus olim Philadelphie Episcopo dici jussit, sibi quoque dictum putet: Ecce venio cito, tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. 2. Ut filios sæculi et tenebrarum menti objiciat, consideretque, quanta plurimi ex necessitate, ut pauperes, et infirmi, ac captivi; alii spe vilissimi et incerti lucri, ut mercatores, milites, opifices; alii vanissimæ gloriæ et favoris desiderio, ut aulici; alii denique carnalis et impuri amoris oestro concitati, ut amasii et proci, agant et patiantur. Itaque has turmas sibi ostendi a Deo putet, simulque illa olim S. Augustino dicta verba repeti: Potuerunt isti et iste, et tu non poteris? An necessitas, et spes vana plus poterit, quam gratia, spes, et charitas divina? 3. Ut Jesum, exemplo S. Stephani et S. Antonii, vel ipsum Deum et totam curiam celestem, se in pugna inuentem, et tum promissione præmii infiniti, tum suo exemplo animantem, sibi imagnetur. Si enim in hac vita conspectus ducis, vel astantium, tantos animos addit certantibus vel duellantibus, quod non efficiet tantorum spectatorum præsentia animo concepta?

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

De natura Fortitudinis.

Ex occasione thematis: « Justus ut palma florebit; » Ps. xci, 13, comparari potest homo justus cum palma, applicando illi qualitates et proprietates palmæ. Quod scilicet. 1. Sicut palma inferne angustum et scabrum stipitem habet, superne vero suam pulchritudinem explicat; ita justus, licet interdum apud homines sit vilis condi-

tionis, et aestimationis, apud Deum tamen et Sanctos in magno sit pretio. 2. Sicut palma folia habet figuram gladii referentia; ita omnia justii proposita, ad bellum et vim sibi inferendam sint directa, quia scit, militiam esse vitam hominis super terram, et Regnum celorum viam pati. 3. Sicut palma nunquam, etiam in hyeme amittit folia et pulchritudinem; ita justus etiam inter adversa semper propositum et justitiam suam retineat. 4. Sicut palma nullo onere deprimatur, sed potius per modum formicis sursum se erigit; ita justus nullis cedat difficultatibus, sed, quo magis premitur, tanto vehementius se opponat pressioni. 5. Sicut palma odit finem et terræ pinguedinem, amat vero terram salebrosam et sabulosam; ita justus odio habeat delicias et voluptates carnis, amet autem asperitatem penitentiae et mortificationis. 6. Sicut fructus et folia palmæ sunt æqualis ponderis; ita proposita et verba justii cum operibus consentiant. Excitentur ergo auditores, ut, quandoquidem palma sic appellatur propter similitudinem manus, et propterea ejus fructus *Dactyli* vocantur, ipsi eandem in manus sumant, et ex ejus aspectu prædictas proprietates sibi in memoriam revocent, ac dicto modo exprimere conentur. Videatur Faber, in *Dom. Palm.* conc. 5.

Possunt auditores ad duellum cum hoste gravissimo et infensissimo suscipiendum excitari, et 1. quidem ostendi, quis sit hostis ille, nempe Diabolus; quam fortis, utpote qui a tot præstantissimis athletis victoriam reportavit; quam infensus nobis, utpote qui et hæcenus tot malorum auctor extiterit, et deinceps etiam semper exitium corporis et animæ sit paraturus. 2. Ostendi poterit, quo gladio utendum sit, nempe verbo Dei, quo ipse Christus usus est, quando tertia vice cum Diabolo congressus est. Unde vero de hoc dici potest, quod olim David de gladio Goliathi dixerat, quod non sit similis ei. Probetur hoc S. Pauli testimonio dicentis: Vivus enim sermo Dei, et efficax omni gladio accipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus. HEBR. iv. Id quod variis exemplis probari potest. 3. Ostendi poterit, quomodo reipsa pugnare hoc gladio, et partim ferire hostem, partim declinare debeamus. Nimirum Christi exemplo in omnibus temptationibus opponendo verbum Dei, v. g. quando inani sollicitudine de rebus necessariis oppugnatur, dicendo:

Quærite primum Regnum Dei etc. MATTH. vi, 33. Si ad spem in hominibus ponendam incitatur: Mihi adherere Deo bonum est etc. PS. LXXII, 28. Si ad pusillanimitatem: Omnia possum in eo, qui me confortat. PHILIP. iv, 13. Si ad superbiam, vel tristitiam, ex contemptu: Elegi abjectus esse etc. PS. LXXXIII, 21. Si ad timorem displicendi hominibus: Si hominibus placerem, Christi servus non essem etc. GALAT. i, 10. et sic de reliquis. 4. Ostendi poterit, quomodo, pro secundantibus seu testibus, elegi possint SS. Angeli Custodes et Patroni nostri, quamque illi parati sint hoc officium præstare. Excitentur proinde auditores, ut cum hoc duellum non tantum licitum sit, sed plane necessarium, et inevitabile, non tantum æquissimum, sed etiam honestissimum ob tot tantosque spectatores, et præterea in nostra potestate sit vincere, magno animo illud aggrediantur, sicutque pugnent ut dicere olim cum S. Paulo possint: Bonum certamen certavi etc. 2 TIM. iv, 7.

Poterit ex occasione sententiæ a S. Job prolata: « Militia est vita hominis super terram; » JOB. vii, 1. ostendi, quam periculosa et difficilis sit ista militia, ob tria capita. 1. Propter hostium potentiam tot excitatam conflictibus. 2. Propter nostram infirmitatem. 3. Propter diuturnitatem temporis; nec enim nisi cum morte finietur. Excitentur proinde auditores, ut, quoniam hic de felicitate agitur, sequantur consilium S. Pauli: Certa bonum certamen fidei; apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, et confessus bonam confessionem coram multis testibus. 1 TIM. vi, 12. Aut, quod Ephesius suavit: De cætero, fratres, confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam etc. EPHES. vi, 10. Videatur Faber, conc. 3 et 10. in *Dom. 1. Quadrag.* Item, conc. 1, in *Dom. 3. Quadrag.* ubi arma Diaboli explicat.

Potest dicere concionator, se esse constitutum a Christo ad milites conscribendos, atque adeo propositurum rationes, cur sub Christi vexillo libenter militare debeant, nimirum. 1. Propter Ducis auctoritatem, peritiam, felicitatem, quæ Cicero in oratione pro *Lege Manilia in Pompeio* tantopere commendavit, quæ oratio hic videri potest. 2. Propter victoriæ certitudinem, cum nemo vinci possit, nisi ultro velit. 3. Propter pacis

et prædæ obtinendæ amplitudinem, et jucunditatem. 4. Propter commilitonum societatem ac copiam, omnium scilicet Sanctorum in coelis, et juratorum in terris. 5. Propter articulorum observandorum paucitatem et facilitatem; nam jugum ipsius suave est, et onus leve. Excitentur proinde auditores, ut se resolvant, juramentum iterum per recitationem Symboli præstent, et auctoramentum liberale copiosæ gratiæ acceptent.

Potest iterum dicere concionator, se morem Ducem secuturum, et quoniam auditoribus pugna spiritualis suscipienda est, illis prius animos per brevem adhortationem additurum, ideoque motiva, cur fortiter pugnare debeant, allaturum, quæ quidem summi possunt ex Fabri conc. 1. in *Dom. 1. Quadrag.* ubi hæc septem enumeret, et probat. 1. Dei præsentia et inspectio. 2. Ejusdem adiutorium. 3. Juramentum in baptismo præstitum. 4. Demonis fastus et odium. 5. Diaboli imbecillitas. 6. Corona proposita. 7. Exemplum Christi; quorum fere quolibet pro integra concione sufficeret.

Ostendi potest, quomodo mundus contra nos triplicem exercitum educat, juxta illud S. Joannis: Omne in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. 1 JOAN. ii, 16. Explicetur proinde fusus, quam exercitatus, potens, et ferus hic sit exercitus. 2. Ostendatur, quomodo triplicem ei exercitum opponere debeamus, scilicet *continentiæ*, *paupertatis spiritualis*, deponendo inordinatum affectum erga divitias, et *humilitatis*. Quem in finem servare potest sententia S. Pauli: Reliquum est, ut et, qui habent uxores, tanquam non habentes sint etc. 1 COR. vii, 9.

Idem scopus aliter obtineri potest ostendendo. 1. Quomodo contra nos semper in armis stet triplex exercitus, nempe Mundus, Caro, et Diabolus, quos si consideremus merito exclamare poterimus cum puero Elisei: Heu! Domine, quid faciemus? Verum dei nobis a Christo id, quod Eliseus puero respondit: Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis. 4 REG. v, 16. Ostendatur itaque, 2. Quomodo triplicem exercitum vicissim conducere debeamus, nempe *SS. Patronos Coelites*, qui præstant numero, robore et peritia; *B. Virginem*, quæ est terribilis ut castrorum acies ordi-

nata; *Deum*, de quo S. Paulus dixit: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Si constant adversum me castra etc. Excitentur proinde auditores ad officium debiti cultus et obsequii diligenter quotidie persolvendum, fiduciamque singularem in ipso ponendam.

Potest etiam ex occasione sententiæ a S. Augustino prolata: Duplicem aciem producit mundus contra militem Christi. Blanditur, ut decipiat; terret, ut frangat, (*Serm. XII, de Sanct.*), ostendi, quam potens sit hic exercitus, cum vere quisquis in militia Christiana vincitur, ab uno horum se victum fateri cogatur. Unde S. Jacobus ait: Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc? Ex concupiscentiis, quæ militant in membris vestris? Jac. IV, 1. Doceatur subinde, quomodo huic gemino exercitui duplex alius exercitus opponi debeat, quorum primus vocatur *Abstine*, et pro tessera habet has voces: « Quis ut Deus? Deus meus, et omnia!» Alter *Sustine* appellatur, et pro tessera habet has voces: « Quis ut Christus, si contemptus, gravatus, cruciatus, derelictus, desolatus? Nos quidem iuste hæc patimur; ipse autem quid fecit?» Excitentur proinde auditores ad hunc geminum exercitum conscribendum, et gemina tessera paulo fusiis explicetur.

Ex occasione thematis: « Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium; » (Prov. XVI, 32.) ostendi potest, quod victoria sui sit omnium victoriarum præstantissima. 1. Quia *rarissima*; multi enim alios vicerunt, pauci seipsum; si ergo quo rarius est aliquid, tanto carius venditur, et æstimatur, quanti victoria hæc æstimanda est, ut quæ adeo rara est, ut ex mille hominibus vix unum reperire sit, qui eam obtineat? 2. Quia *difficillima*; nam qui externos aggreditur hostes, ab ipso eorum odio juvatur et incitatur ad fortiter pugnandum; qui autem seipsum vincit, nullum ejusmodi auxilium, sed potius grande ab amore proprio impedimentum obiectum habet. 3. Quia *longissima*; ut pote toto vitæ tempore durans; si ergo magni fit, nec immerito, qui hostis impetum per aliquot menses in civitate aliqua defendenda sustinuit; si satis prædicari non potest, qui quotidie fere hostem aggreditur, et victor regressitur, quanti coram Deo æstimabitur, qui tam multis annis hostem potentissimum seipsum sustinuit, et quotidie non unam de se victoriam reportavit?

Possunt explicari proprietates, vel potius officia militis Christiani; quorum primum est *juramentum præstare*, quod fit per firmum propositum certandi sub vexillo Christi. 2. *Articulos militares servare*; puta præcepta Dei, et Ecclesie, et Superiorum. 3. *Esse contentum stipendio suo*, illudque S. Pauli implere: « Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. » 1. Tim. VI, 8. 4. *Paratum esse ad omnem irum Ducis*; cum obedientia militum sit potissimum fere instrumentum ad victoriam obtinendam. 5. Si occasio exigat, *fortiter aggredi hostem, et eidem strenue resistere*. 6. *Stationem suam immoto pede tenere*; neque enim in milite Christiano initia quæruntur, sed finis.

De præmio Fortitudinis.

Potest ex occasione questionis illius, qua David quærebat: « Quid dabitur viro, qui percuisset Philistæum? » (REG. XVII, 26.) aut potius vicerit seipsum, probari, quod eadem præmia sint illi promissa a Deo, quæ Saul vincenti Goliathum promisit. Nimirum 1. *Dabitur eum Rex divitiis magnis*; nam nihil æque auget meritum, atque tales actus a victoria sui provenientes. Hinc Sponsus laudans sponsam, quod esset pulchra ut luna, electa ut sol, et perfecta, mox eandem addit hujus perfectionis acquisita: Terribilis ut castrorum acies ordinata. Hinc vere de tali anima dici potest illud Proverborum: Multæ filie congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. Prov. XXXI, 29. 2. *Filium suam dabit ei uxorem*; id est, ad summos honores evehet, ut scilicet sit gener Regis; quia qui seipsum subiectum tenet, ut sensualitas rationi, et ratio obediatur Christo, hic vere victor est sui, et *dominus mundi*; huic occinetur illud Judith olim cantatum: Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri. (JUDITH, XV, 10. 3.) *Faciets domum patris ejus absque tributo*, nempe humana miserie et tristitie; quia vincenti dabitur manna absconditum, id est, vera lætitia cordis. Certe postquam Judith Holofernem vicit, erat populus jucundus secundum faciem Sanctorum, et per tres menses gaudium hujus victoriae celebratum est cum Judith. Excitandi proinde auditores, ut cum Davide in nomine Domini

aggrediantur hunc hostem, et feliciter stent; sic enim audient occidit: Percussit Saul mille, et David decem millia. JUDITH XV, 24. Vide Drex. in Davidem c. XIX, § 1. pulchra ad hunc finem mōita suggerentem.

Ex occasione sententiæ a S. Joanne citatæ: « Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei; » (APOC. III, 11.) ostendi potest, quanti Deus faciat illos, qui seipsum vincere student. Quod scilicet illos faciat columnas Ecclesie triumphantis et militantis; id quod exemplis SS. Apostolorum, Fundatorum Ordinum Religiosorum, et aliorum sanctitate illustrium, confirmari potest. Ostendatur item, quod tales faciat per modum columnæ rotundas, id est, perfectos, altos per donum contemplationis, profundos per virtutem humilitatis, latos per charitatem proximam.

Ostendatur, quomodo Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiant illud, (MATTH. XI, 12.) atque adeo expugnare illud oporteat. 1. *Cuniculos agendo*, per profundam humilitatem. 2. *Scalas applicando*, per observationem præceptorum Decalogi et Ecclesie. 3. *Globis orationum variarum*, præcipue Rosarii. 4. *Ignem injiciendo*, implendo mandatum Dei: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua, et proximum tuum sicut teipsum. 5. *Applicando portas mortarium violentiæ sibi ipsi illatae*; id quod ostendi potest, afferendo varias occasiones, in quibus quisque seipsum vincere potest. Excitentur tandem auditores ad civitatem hanc celestem totis viribus expugnandam, et, si tempus patiat, demonstrare breviter præstantia et opulentia dictæ civitatis.

Ostendi poterit, quam verum sit, quod Seneca alicuique multi sapientes dixerunt, quod scilicet imperare sibi maximum sit imperium, eum in finem assumatur pro medio termino aliud quodpiam celebre effectum, quod dixit: Rex est, qui metuit nihil; Rex est, quique cupit nihil. Hoc regnum sibi quisque dat, Ostendatur ergo ab initio, quam nullus ex terrenis Regibus hæc duo capita, inter medias etiam opes et delicias, possideat, ita ut Salomon ipse, quo nullus felicior unquam extitit, fateri coactus sit, se in omnibus, quæ possederat, nihil nisi vanitatem et afflictionem reperisse. Deinde pariter ostendatur, quam perfecte hæc duo capita possideat, qui seipsum vincere, et tam abstinere, quam sustinere, didicit; di-

caturque, hunc solum esse, qui vere dignus sit, mule regie (id est, corpori suo) insidere, et tanquam Rex proclamari.

De Mediis.

Ex occasione thematis: « Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos » (Ps. V, 13.) dici potest, voluntatem divinam esse scutum simile scuto Myrtilli militis, cujus presidio in terra periculo prælii, in mari vero, dum illo inverso quasi nave usus est, periculum naufragii evasit. Unde distichon istud:

Effugi geminum clypeo discrimen in uno,
Dum premererque salo, dum premererque solo.

Ostendatur ergo, quomodo voluntas divina sit optimum scutum in prosperis rebus; deinde quam non minores vires etiam in adversis habeat, de quo passim videri possunt Ascetæ.

Ostendi poterit, quomodo triplici ære, sen loricæ, pectus contra omnes hostium insultus munire possit, illa scilicet, qua Deus S. Catharinam Senensem armavit, dum eidem petenti modum cognoscendi, quo semper quiete vivere posset, suavit, ut sequentia tria bene observaret. 1. Certo sibi persuaderet, Deum esse *summe potentem*, atque adeo nihil sine ejus voluntate ac permissione eidem evenire posse, juxta illud Amos: « Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus? Amos. III, 6. Certe, vel ipso Christo teste, capillus de capite non peribit. 2. Pariter sibi persuaderet, ipsum *summe sapientem* esse, qui sciat et possit omne malum in bonum convertere, uti exemplo Christi, Josephi Ægyptiaci, Davidis, et aliorum infinitorum, abunde patet. 3. Persuaderet etiam sibi, ipsum *summe bonum* esse, qui plus illam diligit, quam ipsa se diligere queat, atque adeo non passurus sit, ut malum a se permissum in damnum cedat, nisi ipsa sponte sua illud eo detorqueat velit. Videatur hunc in finem cap. 25. l. 3. in libello de Imi.

Ostendi potest, in quo militis Christiani armatura consistat, dicitque, eam fuisse jam pridem a S. Paulo assignatam, dum Ephesius sic allocutus est. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli*. State ergo 1. *Succincti lumbos in veritate*, 2. et indui *loricam justitiæ*, 3. et *calceati*

pedes in præparationem Evangelii pœcis; 4. in omnibus sumentes *scutum* fidei, 5. et *galeam* salutis, (id est, sp̄i ac fiduciæ in divino auxilio) et *gladium* Spiritus, quod est verbum Dei. Excitentur proinde auditores ad dietam armaturam assumendam, eaque paulo fuisus per partes explectur.

Potest explicari, quis commentus militi Christiano sit necessarius, nimirum illi ei- bus, quo Christus usus est, dum dixit: Ci- bus meus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus. JOAN. IV. 34. Ostendatur ergo 1. Quam bonus sit com- meatus iste, utpote quem Sancti in oculis omnibus aliis deliciis præferunt. 2. Quam paratus, cum voluntas Dei semper adimpleri possit. 3. Quam solidus, cum nihil æque confortet ad omnia onera, et adversitates forti- ter referendas, quam voluntas Dei. Excit- entur proinde auditores, ut hunc commea- tum in pectoris sui sacculo recondant, et suo tempore se per eundem reficere non omit- tant.

Potest Myrothecion offerri auditoribus, quo se in casu debilitatis aut pusillanimitatis roborent, in quo loco capsule musco plena sit exemplum Christi. In prima cap- sula primum motivum, scilicet *Dei præsen- tia*, qua S. Antonius ad pugnam animatus est. In 2. *Dei adiutorium*; quo S. Paulus et S. Paulus usi sunt: « Si Deus pro nobis, quis contra nos? » In 3. *Juramenti* in Bap- tismo præstiti recordatio; quo S. Chrysos- tomus suos Christianos inunxit, dicens: Exere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio concerta. Considera pactum, condi- tionem attende, militiam nose. Pactum, quod spondisti; conditionem, qua acces- sisti; militiam, cui nomen dedisti. In 4. *Pon- deratio imbecillitatis hostilis*; quo iterum S. Antonius usus est, hinc dixit ad suos: Demon sicut passer irretitus tenetur et constringitur a Christo. Christiani ergo Christo nixi, Dæmonem non timeant, sed rideant. In 5. *Præmi spes et magnitudo*; quo S. Paulus usus est: « Bonum certamen certavi » etc. de reliquo reposita est mihi co- rona justitiæ. II TIM. VII. 7. Imo ipse Chris- tus, dum proposito sibi gaudio sustinuit crucem. HEB. XII. 2. Vide Fabr. in conc. 1. pro *Dom. 1. Quadrag.*

MISCELLANEA.

De natura Fortitudinis.

Cleomenes, cum Sophistam quondam de natura fortitudinis disserentem audiret, et quia non adeo attentus erat, ab aliquo re- prehenderetur, respondit, ineptum esse quemdam de fortitudine magnificis uti ver- bis, qui ipse nihil fortiter unquam gesserit. PLUTARC. in *Lacon.*

Cum Antonius cum Cæsare classe confi- gere pararet, quidam Tribunus militum illi prætereunti corpus multis cicatricibus in- signitum ostendens dixit: O Imperator, cur his vulneribus, aut huic gladio parum fidis, inque lignis fragilibus spem reponis? Sine Phœnicæ et Ægyptii classe pugnet, nobis Romanis terram da, in qua consuevimus, vel hostem vincere, vel mortem oppetere. PLUT. in *vita Platon.*

Cum Epaminondas contra Lacædemones pugnare cogitaret, et milites, qui casu sella, cui Dux incederat, fracta erat, malum omen caperent, dixit: Bonum potius hoc omen esse, quo Dii innuerent, non seden- dum, sed standum esso forti et generoso Duci et militi. FLOR. p. III.

Alexander Magnus audiens Darium cum ingenti numero militum appropinquare, respondit, coquum et lanionem sibi ab ovi- bus non timere, cum unus lupus possit to- tam gregem fugare. Ibidem.

Turpe est cedere oneri, luctari cum offi- cio, quod semel recepisti. Non est vir fortis et strenuus, qui laborem fugit SEN. ep. XXII. ad *Lucil.*

Primum argumentum compositæ mentis puto, posse consistere, et secum morari. Id. ep. II.

Non quia difficilia sunt, multa non aude- mus; sed quia difficilia videntur, non aude- mus. Idem.

Qui se volit esso potentem,
Animos domet ille feroces;
Nec vieta libidine colla
Fodis submittat habenis.
Etenim licet Indica longe
Tellus tua jura tremiscat,
Et serviat ultima Thule;
Tamen atras pellere curas,
Miscrasque fugare querelas,
Non posse, potentia non est.

BORSTIUS, de *Consol. Phil.* l. III, metro v.

Recte olim veteres fortitudinem per ru- pem in mari consistentem depinxerunt, ad- juncto epiphonemate: *Eadem semper.* Aut: *Nec flumine, nec flumine lædor.*

DE UTILITATE.— Nullum malum est, quod ferre fortis non queat. Hinc Democritus, quidam fortitudo efficeret? interrogatus, optime respondit: Dispensia minuit. DREX. in *Ros.* p. I, c. XIII, § 8.

Dextera est Deus, telumque missile im- perterritis. Ibidem.

Honesta mors forti viro vita altera est. Ibidem.

Quidam ex præseis Patribus ad æstum so- lis declinandum secedens, cum in vicinam specum secessisset, ibique leonem reperis- set, rugienti dixit: Quid rugis, mi paterfa- milias? Sat ambobus hic spatii est. Quod si tibi displiceam, exi, et abi, quo vis, ego te melior sum; imago Dei sum; tu bellua es. *Vita PP.*

Habet hoc in se generosus animus, quod conceitatur ad honesta. Neminem excelsi ingenii virum humilia delectant et sordida. Magnarum rerum species ad se vocat, et exollit. Quemadmodum flamma surgit in rectum, jacere ac deprimi non potest, non magis, quam quiescere; ita noster animus in motu est, eo mobilior et actuosior, quo vehementior fuerit. Sed felix, qui ad me- liora hunc impetum dedit. Ponet se extra jus ditionemque fortune; secunda tempera- bit, adversa comminet, aliis admiranda despiciet. Magni animi est magna contem- nere, ac mediocria malle quam nimia.

Quando Moyses marinos fluctus virga percussit, Deus interea hostes reliquos sub- mersit, et Israelitas servavit; sic, si homo facit quod in se est, et fluctus inquietos suarum passionum coeret, Deus non omit- tet ipsum contra reliquos hostes defendere.

DE DIGNITATE. — Tunc Dei servus maxi- me vincit, cum victus est; atque adeo ut recte vincat, ante vinci oportet. L. *De Civit.* Dei, c. XXIV.

Nobile vincendi studium, patientia vincit,
Qui patitur: si vis vincere, discas pati.

GRAN. in *Silva*, fol. 499.

S. Joannes ait, byssinum esse justifica- tiones Sanctorum; quia, sicut byssus fragilis quidem et vilis herba est, arte tamen et multo labore contusa atque concocta in pretiosam byssum evadit; ita quantumcum- que vilis et carnalis sit homo, per frequen-

tem tamen sui contusionem et victoriam spiritualis et eorum Deo pretiosus evadit.

Quam sint Diabolo viri fortes invis, quam vero cari molles et voluptarii, Pharao, qui ejus typos est, indicavit, dum masculos fi- liorum Israel interfici, feminas autem re- servari jussit; sic enim, quemadmodum Origines ait, etiam Diabolus virilem hominis partem, id est, rationem, cupit extinguere, carnem vero et opera illius vivere. Ibid. f. 502.

Effigies hominis generosi est equus a Job descriptus: Terram ungula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis, con- temnit pavorem, nec cedit gladio, super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta et clypeus. Fervens et fremens sorbet terram, nec reputat tuba sonare clangorem. Ubi audierit buccinam, dicit: *Vah!* Procul odo- ratur bellum, exhortationem Ducum, et ululatum exercitus. JOB. XXXII, 24.

Et, ut Poeta canit.

Si qua somni procul arma dederunt,
Stare loco nescit, micat auribus, et tremat artus,
Collectumque premens volvit sub naribus ignem.
Primus et ire viam, et fluvios tentare minaces
Audet, et ignito sese committere ponto.
Nec vacans horret strepitibus.

Cum Samuel Sautlem in Regem inungere volens, convivio cum excepit, circa finem mensæ armum, quem de industria pro ipso servari præceperat, apposuit, ut eo facto significaret, Regem præcipue in fortitudine eminere debere, et cordis magnitudine; unde Josephus armum, partem sive portionem regalem vocat. L. VI *Antiquit.* c. IV.

AXIOMATA.

Tantum proficies, quantum tibi vim intu- leris.

Imperare sibi maximum imperium.

Rex est, qui metuit nihil; Rex est, qui- que cupit nihil; hoc Regnum sibi quisque dat.

AUCTORES.

Ludovicus de Ponte, tom. III, tr. IV, c. XII.

Jeremias Drexelius, in *Rosis*, p. I, c. XIII.

Bernardus Rosignolius, l. IV, c. XXIX.

Nicolaus Lancizius, opus. IV, c. XXIX.

Petrus Sanchez, in *Viridario*, V. eod.

Jacobus Alvarez, tom. II, l. III, p. 2, § 4.